





DE  
**PANDA**

**PAGIS DEA**  
SVCCINCTE COMMENTATVS

AD ORATIONES

MEMORIAE

**PACIS RESTAVRATAE**

DIE XXII. MART. A. R. S.

MDCCLXIII.

CONSECRATAS

*EA QVA PAR EST ANIMI RELIGIONE*

INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**

RECT. GYMN. FREIBERG,

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDR. BARTHELII

CV.

Poesies divers. Od. VI. p. 34.

O Paix, aimable Paix, si long tems desfrée;  
Viens fermer de Iamur le temple redouté!  
Bannis de ces climats l'interêt et l'envie,  
Rends la gloire aux talens, à tous les arts la vie,

**T**andem aliquando, quod Deus felix faustum et fortunatum esse iubeat, annus desideratissimus et dies albis signanda lapillis illuxit, qua pax et tranquillitas publica, tot votis expetita, et veluti sol exoptatissimus, gravissimis procellis superatis, resurgit, postquam

*armorum sonitum toto Germania caelo  
auditi. a)*

Quanto autem praestantius hoc est beneficium, tanto maiori cultu iamdudam veteres illud sunt prosequuti. Nunc enim Pacem deam religioso cultu adficebant, nunc aras illi exstruebant, et pulvinaria insituebant, nunc sacrificiis eam expiabant, nunc numos in honorem eiusdem cudebant. Quae omnia, quum in luce sint posita, iam silentio praetermittimus, strictim de PANDAE nomine verba facturi, quo haec dea legitur insignita, de huius vero origine et derivatione non unam omnium esse sententiam, videmus. VARRO, uti in multis aliis, ita etiam in huius nominis etymologia ludit, eam ita dictam statuens, b) *quod panem det*. Qua mente Pandam cum Cerere eandem fuisse, censet, ad cuius fanum confugerint, qui fame laborabant, quia ibi panis dabatur. Aliam originationem ARNOBIVS in lucem profert, c) Pandae nomen à Sabinorum gente repetens. Quum enim horum rex, Titus Tatius, multa alia foedissimae superstitionis monumenta Romam attulisset, etiam deam Pandam vel Panticam inuexit, hoc nomen ex eo nactam, quod sibi viam ad capiendum collem Capitolinum pandisset. Omnium autem rectissime sentiunt, qui Pandae nomen à *porzis pandendis* deriuant, quae, hostibus remotis, et pace restituta, referari solebant. Quam in sententiam HORATIVVS noster commemorat et commendat d)

*institiam, leges, et apertis otia portis:*

et alio loco Cathaginiensium securitatem ostensurus, qua Romanis illudebant, ita canit; e)

*vidi ego portas non clausas, et arua  
Marte coli populata nostro.*

Vtrum:

a) Virgil. Georg. I. 473.  
L. IV. p. 128.

b) de vit. pop. Rom. L. I.  
d) de art. poet. 199.

e) adv. gent.  
e) L. III. Od. 5.

Vtrumque VIRGILIUS coniungit, felicitatem temporum, imperante Augusto decantans. Et portas quidem, bello grassante clausas his verbis designat: f)

*dirae ferro et compagibus arctis  
clauduntur belli portae;*

quae lucem ex iis accipiant, quae poeta paucis ante dixerat: g)

*cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis:*  
portas autem, reddita publica tranquillitate apertas idem paucis interfectis indicat, fore adfirmans, h)

*ut terrae atque nouae pateant Carthagini arces  
hospitio Teucris.*

Et quum Troiam post decem annorum obsidionem turbis liberam animo contemplatur, ciues non solum luctu solutos sed etiam pacis beneficio laetos, portas autem apertas, veluti certissimum pacis conciliatae indicium videt, i)

*ergo omnis longo soluit se Teucra luctu,  
panduntur portae. etc.*

Has portas bello clausas CICERO in animo habuisse videtur, C. Caesarem his verbis compellans: k) *et mihi pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti.* Et quum Venus arma a Vulcano peteret, doram belli conditionem his verbis exponit: l)

*adspice, qui coeant populi, quae moenia clausis  
ferrum acuant portis in me exitiumque meorum.*

De portis vero pace apertis haud pauci scriptores testantur. Ita TRYPHIODORVS Troianos ostendens, hostibus, uti opinabantur, remotis, canit: m)

*ἀντίκ' εἰ ἐξέθορον πολέων πετάσαντες ὄχληας,*

quae verba PETRONIVS ARBITER ita vertit: *iam turba portis libera ac bello carens, etc.* n) Ita LIVIVS: o) *pace omnis Italia erat aperta.* Et, ubi Polynaenus Syracusanos ad pacem exhortatur, inter alia, *portae, inquit insulae pateant.* p) Ita TACITVS: q) *pleni agri, apertaeque domus securitate pacis.* Ita SALVSTIVS: r) *immanis hominum vis multis ex locis inuasere patentes tum portas, et pacis modo effusas, et iterum: s) cuncta maria terraeque patebant.* Ita VIRGILIUS, Latinos commemorans, quum Troianis se dedere vellent, qui

*urbem referare iubent et pandere portas  
Dardanidis. t)*

Et

f) Aen. I. 296.

g) l. c. 237.

h) l. c. 301.

i) Aen. II. 26.

k) Orat. pro Marcel. c. I.

l) Virg. Aen. VIII. 384.

m) Excid. II. 230.

n) in Satyric. Cap. 49. v. 15.

o) Hist. Rom. L. XXX.

p) id. L. XXIV.

q) Hist. L. II.

r) Bell. Iugurth.

s) Bell. Catilin.

t) Aen. XII. 584.

Et ita CLAUDIANVS, Stiliconis laudes eleganti carmine persequens, quem eo praecipue nomine commendat, quod pacem conciliauerat, his signis conspicuam; u)

*Hinc Poeni laudes cumulant, quod rura tyranno  
libera possideant: hinc obsidione solutus*

*Pannonius, potorque Savi, qui clausa tot annis*

*oppida laxatis ausus iam pandere portis*

*rursum coe nouat nigras rubigine falces,*

*exesque situ cogit splendere ligones.*

Itaque portae clausae symbolum sunt et signum belli, omnia ligantis et confringentis. Nam qui hac mole premuntur, meliori conditione non sunt, quam ii, qui amissa libertate durissimis vinculis mancipantur, et, luce remota, squalidis in carceribus detinentur. Talis nempe sors est hominum, qui armorum rabie vexantur, qualis olim Andromedae erat

- - ad duras religatae brachia cautes, w) et cuius

*adfrinxere pedes scopulis, iniectaue vincla. x)*

Quantis in periculis et anxietatibus ille versatur, qui raptoribus se cinctum videt,

*utque fugax auidis ceruus deprensus ab urfis,*

*cinctaue montanis ut pauet agna lupis; y)*

tantis animi perturbationibus sunt obnoxii, qui virorum armatorum, minas ac caedes spirantium, multitudine circumfidentur, neque rimam elabendi vident. Et quam propinqua fatis extremis ea est auicula, quam unguibus correptam accipiter tenet, his coloribus à VIRGILIO depicta; z)

- - accipiter saxo sacer ales ab alto

*consequitur pennis sublimem in nube columbam*

*comprehensamque tenet, pedibusque euiscerat unci,*

*ut cruor et vulsae labantur ab aethere pennae,*

ab Hier. VIDA autem, felicissimo Virgilii imitatore, his verbis repraesentata; a)

- - ubi accipiter celsa de sede columbam

*sustulit apprensam, quam rostro euiscerat unco,*

*diffugiunt aliae huc illuc, mox turribus imis*

*condunt se celeres, et inania murmura miscent:*

tam iusto timore percelluntur, quorum, furente Marte, paries proximus ardet. Quantumuis horridum sit hiemis tempus, ubi omnia clausa uideamus et constricta,

*quum se clausa tenent stabulis armenta, nec ullae  
aut herbae campo adparent, aut arbore frondes, b)*

et

u) de Laud. Stilic. L. II. 190. sqq.

w) Ovid. Metam. L. IV. Fab. 18.

x) Manil. Astron. L. V. 552.

y) Ovid. Trist. III. El. XI. 11.

z) Aen. XI.

a) in Christ. L. VI.

b) Ovid. Trist. III. El. 10.

et quantumvis terribilis est noctis caligo, si cum iucunda luce diei comparatur,

*qua totus mundus nebulis et carcere nigro  
arctatur vinculis tenebrarum: c)*

longe tamen tolerabilior conditio eorum est, qui his in vinculis haerent quam hominum belli furis rapinis et vastationibus obnoxiorum. Dura quidem fors est auis, quae, libertate antea gauisa, nunc capta et caueae est inclusa,

*- - - laqueique obnoxia nexu  
ingemit, erepta se libertate morari,  
libera camporum spatia et liquidi aetheris auras,  
et nemorum frondes per opaca silentia anhelans,  
impatiensque simul conansque erumpere claustris  
inuolitat caput, et cancellos rumpere sperans  
quaerit iter etc.*

dura quoque est conditio hominis asthma vel pthifi laborantis,

*vincula ubi pressum stringunt adamantina pectus,  
ne faciles vitae transigat aura vices,  
inque fatigatum repetitis pulsibus haustum  
necquicquam clausas nititur ante fores,  
dumque animae tenues intercipit aspera ductus,  
spiritus impulsu subsilit usque graui,  
frangitur, et victis multis assultibus haeret,  
nescius, obstructum rumpere vocis iter,  
nixibus immoritur pressis, et creber anhelu  
Obdita succussu pellere claustra fremit;*

at multo infelicior illorum est ratio, qui acerbis belli calamitatibus atque aerumnis vehementer premuntur atque misere excarnificantur.

Quae quum ita sint, videmus, cur veteres deam pacis, quam Cicero non sine causa libertatem tranquillam adpellat, d) Pandae cognomine ornauerint. Vti enim sol post horrendas tempestates lumine suo non tantum omnia illustrat, sed etiam recreat, fouet et sustentat, quod poeta hisce verbis significat: e)

*- - - quum tetra caligine nimbi  
eripuerit diem terris, tristisque procella  
funestam inuexere hiemem post fulgura clausis  
per nubes illisa minis, ruptique fragorem  
aetheris, et duros lapidosae grandinis imbres*

terra-

c) Virgil. Georg. III, 352.  
Argon, L. II.

d) Orat. Philipp. II.

e) Val. Flacc.

terrarumque metus trepidos, gemitumque dolentis  
 naturae, faciemque migrantem horrentis Auerni,  
 Sol ubi per tristes rutilum iubar exserit auras,  
 protinus illucere dies et cedere coelo  
 inoesitit, hilari pullum mutare colorem  
 terra nouo candens aër ridere sereno  
 blandaque composito se fundere gaudia mundo, etc.

ita, pace reddita, et publica tranquillitate restituta, omnia reflorescere ac renouari videntur, neque solum portae urbium panduntur, sed etiam illud omne felici auspicio reseratur, quod utile est atque incundum. Hoc unicum est reipublicae confirmandae fundamentum, cui salus tam publica quam priuata, radicibus altissimis defixa, inhaeret. Ex hoc fonte omnis felicitas omnesque opes promanant. Hoc est vinculum, quo religio, leges, mores incorrupti, iustitia et fides copulantur. Hac mente veteres in numis deam Pacem plerumque oleam manu tenentem repraesentabant, cui symbolo aliquandò papauer, spicas, laurum et rosam addebant, omnis generis opes et delicias indicaturi, à pace exspectandas. Imo PAVSANIAS testatur, f) statuam Plutonis, diuitiarum dei, olim apud Athenienses profuisse, quae hunc deum exhibebat à dea Pace nutrice manibus portatum: qua imagine quid significare voluerint, nemo non subodoratur.

Hoc ergo beneficium eo maiori religione et celebrari et commendari meretur, quo maior est gratia Patris caelestis, qui precibus continuis permotus, ex vinculis diurni luctuosissimique belli patriam nostram potentissime exsoluit. Nostrum igitur erit, non Pandam, commentitium hominum profanorum Numen, sed Deum immortalem, datorem atque auctorem pacis, vindicem ac flatorem libertatis, et largitorem publicae tranquillitatis, pio animo venerari, et cum Dauide dicere: g) *Dominus in angustias redactus adserit ex periculis, atque ex tenebris et funesta nocte miserum, vinculis abruptis, eripit. Ergo celebremus illius clementiam, et miracula huius adiutoris praedicemus, qui ostia aerea perrumpit, et claustra ferrca perfringit.* Nam, quod poëta dixit: h)

*optimus ille fuit vindex, laudentia pectus  
 vincula qui rupit, dedoluitque semel,*

id potiori iure nostrum in Deum conuenire, iam sentiendo intelligimus, et intelligendo reuera experimur,

Cui

f) in Attic. L. III.

g) Ps. CVII, 13. sqq.

h) Ovid. Remed. am. L. I.



Cui ut pietatem nostram iam in publica concione declaratam, nunc etiam pro suggestu scholastico testatam faciamus, adolescentes et pueri, qui litterarum studiis seruiunt, pro hoc beneficio, immortalis memoria digno, religiosa vota carminibus varii generis et sermonis nuncupare decreuerunt. Adeste igitur, qui intelligitis, quantum pretium restauratae paci sit statuendum, PATRONI, FAVTORES atque AMICI, suis quisque meritis et dignitatibus ornatissimi, atque animis consociatis Deo optimo maximo gratias dignas persoluite, illique pacem et nobis et posteris conferuandam precibus ardentissimis commendate, peroraturos autem beneuole auscultando Vestra gratia et propensione subleuate, qui perendie hora ante meridiem nona audita, in domo mercatoria, foro publico contigua, seruato, quosese excipiunt, ordine, ita procedent;

*Prologus*

FRIDRIC. AVGVST. TZSCHOECKEL. Germ.

Car. Gottlob *Kirchhübel*, Hebr.

Io. Gotthard *Vlich*, Lat.

Io. Gottl. *Krauffe*, L.

Dav. Beniam. *Francke*, L.

Io. Henr. *Richter*, L.

Georg. Fridr. *Grübler*, L.

Io. Gottfr. *Ufer*, L.

Io. Georg. *Bellmann*, L.

Car. Christ. *Luther*, Angl.

Christ. Hier. *Hunger*, Gr.

Christ. Gottfr. *Schmidt*, Gall.

Christoph Traugott *Arnold*, L.

Io. Paul *Zimmermann*, L.

Andr. Fridr. *Klotzsch*, Gall.

Fridr. Traug. *Hartwig*, L.

Gottlob Fridrich *Brückner*, L.

Christ. Gotthelf *Doelitzsch*, Ital.

Christ. Gotthelf *Lehmann*, Hebr.

Imman. Fridr. *Wittig*, Hebr.

Gottlob *Iohne*, L.

Christ. Fridr. *Woydt*, Gall.

Anastef. Nathanael *Haentschel*, L.

Gottlieb. Hieron. *Krause*, L.

Wilh. Fridr. Sigmund *Teucher*, L.

Iulius Adolph *Brückner*, L.

Io. Sam. *Dachselt*, L.

Christ. Gottlieb *Hain*, L.

Christian Fridrich *Fischer*, Gall.

Fridrich Gottlob *Gampe*, L.

Christ. Fridr. *Daverko*, Gall.

Io. Car. Ludw. *Beyer*, L.

Io. Ludw. *Mündler*, Gall.

Gottthelf Christ. *Gretzel*, L.

Ioh. Henr. *Zimmermann*, L.

Io. Mich. *Braun*, L.

Io. Christ. *Renner*, L.

Gottl. Hieron. Christ. *Peschel*, L.

Christ. Gottlieb *Richter*, L.

Fridr. Gottlieb *Fiedler*, L.

Christ. Gottlob *Morgensfern*, L.

Io. Fridr. Christian *Liebe*, G.

Christ. Fridr. *Hennig*, G.

Christian Gottfr. *Bernhardi*, G.

Ambros,

Ambros. Bethmann *Bernhardi*, G.  
Gottfr. Car. *Hunger*, G.  
Io. Christ. Fridr. *Herrmann*, G.  
Io. Fridr. *Stiehl*, G.  
Gottlob Fridr. *Weber*, G.  
Car. Aug. Fridr. *Martini*, G.  
Car. Fridr. *Martini*, G.  
David Gotthelf *Müller*, G.  
Gottlob Sigm. *Richter*, G.  
Io. Sam. *Berthold*, L.  
Sal. Fridr. *Schulze*, L.  
Christ. Ern. *Uhle*, G.  
Aug. Fridr. *Kayser*, L.  
Aug. Frid. *Kühnel*, G.  
Christ. Gottfr. *Richter*, G.  
Io. Gottl. Rudolph *Tzschoke*, L.  
Io. Gottl. *Strasburger*, L.  
Io. Christ. Gottl. *Kirchbahn*, L.  
Iustus Hier. Traug. *Liebscher*, G.  
Christ. Lebrecht *Uhle*, G.  
Adolph Gottl. *Funcke*, L.  
Christ. Sam. *Lutber*, L.

Car. Frid. *Freisleben*, G.  
Ern. Wilh. *Schumacher*, G.  
Fridr. Wilh. *Schumacher*, G.  
Io. Gottlob *Dietzsch*, G.  
Gottfr. Beni. *Neubäuser*, G.  
Georg. Fridr. *Reichelt*, G.  
Io. Fridr. *Dietrich*, G.  
Gotthelf Beni. *Schmidt*, G.  
Chph. Ludw. *Schmidt*, G.  
Car. Gottlieb *Findeisen*, L.  
Io. Gotthelf *Klemm*, G.  
Car. Fridrich *Weinhold*, G.  
Curt Car. Sam. *Koehler*, G.  
Alexander Wilh. *Koehler*, G.  
Io. Gottlob *Bochmann*, G.  
Car. Gottfr. *Nestler*, G.  
Christ. Gotth. *Funcke*, G.  
Car. Gotthelf *Lebnert*, G.  
Car. Gottfr. *Beckert*, G.  
Io. Henr. Gottfr. *Opiz*, G.  
Car. Gottlob *Müller*, G.

*Epilogus.*

Io. Gottfried *Bidermann*, G.

*Virgil. Aen. XI, 356.*

ô aeternae pater, reparato plgnore grato,  
hanC paCeM popVLis aeterno foedere IVnge.

P. P. *Freibergae* a. d. XX. Mart. Anni salutaris

MDCCLXIII.

---

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







B.I.G.

Farbkarte #13

# DE PANDA

PACIS DEA  
SVCCINCTE COMMENTATVS

T

AD ORATIONES

MEMORIAE

## PACIS RESTAVRATAE

DIE XXII. MART. A. R. S.

MDCCLXIII.

CONSECRATAS

EA QVA PAR EST ANIMI RELIGIONE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN. FREIBERG.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDR. BARTHELII.

CV.